Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

quando corpus totius ecclesie nunc dispersum atque laceratum. uerus me
dicus ihesus christus sanaturus aduenerit. unusquisque secundum mensuram fidei
et agnitionis filii dei quem ideo agnoscere dicitur quia prius nouerat. et
postea nosse desiuit. suum recipiat locum. et incipiet id esse quod fuerat.
Ita tamen ut non iuxta aliam heresim omnes in una etate sint positi. id est omnes
in angelos reformentur. sed unumquodque membrum iuxta mensuram et officium
suum perfectum sit. uerbi gratia. ut angelus refuga id esse incipiat quod creatus est.
et homo qui de paradyso fuerat eiectus. ad culturam iterum paradysi
restituatur. Ista autem uniuersa sic fient ut inuicem inter se karitate iun
gantur et dum congaudent membrum membro et in alterius letatur [profectu] christi
corpus ecclesia primitiuorum habitet in celesti hierusalem quam in alio loco
apostolus matrem sanctorum uocat. Idcirco ut supra diximus hec
apud [latinos] obscuriora sunt. quia metaforicos dicuntur in greco.
et omnis metafora. si de alia in aliam linguam transferatur ad uerbum.
quibusdam quasi sentibus orationis. sensus et germina suffocantur.
Hoc igitur dico et contestor in domino. ut non amplius ambuletis sicut et
gentes ambulant in uanitate sensus sui obscuratam mentem. ab alienati
a uita dei propter ignorantiam que est in illis propter cecitatem cordis eorum
qui desperantes semet ipsos tradiderunt inpudicitie et operationem in
mundicie omnis. in auaricia. Hoc igitur ait dico uobis o ephesii. uosque
contestor. ut qui occursuri estis in mensuram etatis plenitudinis
christi. non ambuletis sicut ambulant gentes que idolis seruientes et sen
su et mente abutuntur in praua. que cum ideo acceperint animam et
intellectum ut cognoscerent deum abalienati sunt a uita eius. quam aliam
absque christo non nouimus. et in sui cordis ambulant cecitate. atque utinam
peccasse sufficeret et uel sero agerent penitudinem. dampnarentque
uicia in quibus iugiter inhiarunt. esse remedium respicerent post errorem.
nunc uero desperantes se et in ritu inrationabilium bestiarum ceno
uoraginique mergentes tradiderunt inpudicitie atque luxurie
operantes quidquid corpus uoluit. mens desiderauit. libido sugges
sit. Et cum nichil omnino pretermiserint quod inmundum sit hoc
totum fecere in auaricia dum numquam luxuriando saturantur.

ss